OBSERVATIONES IN CYNANCHUM

♦

THUNBERG

OBSERVATIONES
IN
CYNANCHUM

QUAS
VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.
PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND. HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR. BEROL ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELD. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. ET HORTICULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT NATION. MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

FR. AD. ALNER
Stip. Acrel. Roslagus.

IN AUDIT. BOTANICO D. VIII DEC. MDCCCXXI.
H. A. M. S.

UPSALIÆ
EXCUDEBANT REGIÆ ACADEMIÆ TYPOGRPHI.

THESES.

I. In eo præſertim elucet Summi Numinis ſapientia et bonitas, quod Regioni cuique data ſint non ea ſolum, quæ ad vitam ſuſtinendam, ſed etiam, quæ ad amiſſam ſanitatem recuperandam conducunt, adminicula.

II. Sic Zona torrida, ubi fatigans ſolis æſtus incolarum relaxat corpora, herbis et fructibus aromaticis abundat.

III. Boreales autem terræ, ubi corpus humanum modicum ſemper retinet tonum, omnibus fere hiſce ſtimulantibus deſtitutæ ſunt condimentis.

IV. Haud igitur injuſte mota fuit querela, quod plurima pharmaca ab exteris nobis adportentur, quæ aut eadem aut præſtantiora aut ejusdem indolis copioſe nobis offert patria tellus.

V. Scientiæ naturalis cultori non ſufficit experientia propria, unius vel paucorum, ſed requiritur conſtans et communis peritorum hominum concordiſſima obſervatio.

VI. Ad eruendas plantarum vires medicas affinitatem naturalem haud parum conferre, in conceſſis habemus.

VII. Sic Contortas pleraſque, quæ ſucco ſcatent lacteo, vim acrem et ſæpius cauſticam exſerere, experientia etiam non repugnat.

OBSERVATIONES
IN
CYNANCHI GENUS.

In Classe Pentandriæ Systematis Sexualis Plantæ contortæ fructu suo singulari, folliculo dicto, præditæ valde difficile et extricantur et cognoscuntur. Fructificationis partes confusæ sunt adeo, ut plures Celeberrimi Botanici hæsitaverint, an hasce plantas potius ad Classem Monadelphiæ, Gynandriæ, Decandriæ, an cum *Linnæo* ad Pentandriam referrent. Ex Illustrissimi et Consummatissimi Botanici, Domini Jaquini opusculo de hac familia satis patet, quam intricata sit hujus ordinis, respectu partium fructificationis, fabrica et constitutio.

Fructus hujus ordinis naturalis, qui semper lactescens et venenatus deprehenditur, non est capsula, apice dehiscens, sed folliculus, lateraliter ruptus, seminibus liberis, lana sericea involutis.

Numerosæ exstant in terris ardentiore sole calefactis, species, quarum radices vel emeticæ vel laxantes remedia non spernenda suppetitant, et invicem æque similes, ac cognatæ difficile distinguntur et determinantur.

Mihi, specimen eruditionis primum edituro non ea contingere potest felicitas, omnes examinandi et indagandi difficultates, quæ in vasta hac familia occurrunt; sed tantum pro viribus exiguis Cynanchi generis species commemorandi et nonnullas novas species, additis descriptionibus, illustrandi.

Gmelin in Systemate Vegetabilium Vol. I. pag. 141 et 142 sequentes enumerat species:

**Caule volubile*: hirtum, reticulatum, cordifolium, arboreum, capense, suberosum, carolinense, obliquum, parviflorum, crispiflorum, undulatum, maritimum, racemosum, planiflorum, altissimum, clausum, leucanthum, longiflorum, viminale, acutum, monspeliacum, extensum, obtusifolium et tenellum.

***Caule erecto*: pyrotechnicum, erectum et filiforme.

WILLDENOWIUS in Speciebus Plantarum Tom. I. Part. II. p. 1252-1258. adhuc habet, præter enumeratas, crispum, rostratum, grandiflorum, nigrum et prostratum.

SCHULTES in Novissima editione Systematis Vegetabilium, Tom. VI. p. 96-111. addit ulterius numerosas sequentes species: excelsum, chinense, Brownianum, floribundum, erubescens, Bonplandianum, mucronatum, microphyllum, serpyllifolium, fimbriatum. Humboldtianum, longiflorum, funale, pendulum, melanthos, tomentosum, pedunculare, radians, oleæfolium, denticulatum, hirsutum, pictum, lanceolatum et angustifolium.

Observandum erit; I:o quod crassifolium D. SCHULTES eadem sit species ac obtusifolium GMELINI, et inodorum eadem ac reticulatum.

2:o Quod ad PERIPLOCAS potius referri debeant pilosum, Heyneanum, et pauciflorum; ad APOCYNUM, hastatum, et ad ASCLEPIADES foetidum, sibiricum, nigrum, villosum, medium, vincetoxicum, roseum et fuscum.

Hisce mihi licebit addere decem novas et ante dimidium fere seculum, in Java et Ceilona detectas et a Celeb. Præside collectas species, scilicet in CEILONA *mincranthum, acuminatum, cuspidatum, ovatum, pedunculatum, flavens, bracteatum, echinatum*; in JAVA *macrophyllum, capillare;* quæ omnes species herbarium Regiæ Academiæ Upsaliensis exornant, quarumque descriptiones heic mihi contingit, cum curiosis Botanicis communicare.

Singulis, ut videtur, Cynanchi speciebus caulis est teres, filiformis vel capillaris, flexuosus, scandens et volubilis vel prostratus, vix unquam vere erectus. Omnibus quoque folia, si aphylla excipimus, sunt opposita, integraque, raro villosa; suntque præterea vel filiformia, vel ovata basi rotundata, vel cordata, atque communissime petiolata.

Flores fere in universum et semper umbellati, umbella vel simplici vel composita, breviter vel longius pedunculata.

C. Micranthum.

C. foliis ovatis, acutis; umbellis axillaribus, racemosis; pedicellis capillaribus.

Caulis filiformis, inferne erectus, superne flexuosus, uti tota planta glaber.

Folia brevissime petiolata, ovata, acuta, integra, glabra, sequipollicaria; superiora sensim minora, usque unguicularia.

Petioli filiformes, semiungviculares.

Pedunculi axillares, capillares, patentissimi, spithamæi; superiores sensim breviores, racemosi umbellis pluribus;

Pedicelli capillares, inæquales, ungviculares.

Flores tres vel quatuor, parvi.

Folliculus acuminatus, digitalis vel ultra.

C. Acuminatum.

C. foliis ovatis, subcordatis, mucronatis; umbellis brevissime pedunculatis.

Caulis filiformis, tener, volubilis.

Folia ovata, subcordata, acuta, integra, glabra, sæpius opposita, raro solitaria, patentissima, pollicaria, breviter petiolata.

Petioli ſemiungviculares.
Umbellæ axillares et oppoſitifoliæ, ſimplices, brevisſime pedunculatæ.
Pedunculi et pedicelli capillares, ungviculares.

C. Cuspidatum.

C. foliis oblongis, cuſpidatis; umbellis brevisſime pedunculatis.
Caulis teres, flexuoſus, volubilis, uti tota planta glaber.
Folia petiolata, baſi rotundata, oblonga, acuminata, integra, glabra, patentisſima, usque tripollicaria.
Petioli filiformus, pollicares.
Umbellæ axillares, breviter pedunculatæ, multifloræ.

C. Ovatum.

C. foliis ovatis, acuminatis; umbellis breviter pedunculatis
Caulis filiformis, flexuoſus.
Folia ovata, acuminata, baſi rotundata, integra, glabra, ſeſquipollicaria.
Petioli pollicares.
Umbellæ ſimplices, breviter pedunculatæ.
Pedunculus et pedicelli ungviculares.

C. Pedunculatum.

C. foliis ovatis, acutis; umbellæ pedunculis elongatis.
Caulis filiformis, flexuoſus.
Folia ovata, integra, acuta, glabra.
Petioli longitudine folii.
Umbellæ inferiores longisſimæ, ſuperiores breviter pedunculatæ.
Pedunculi inferiores elongati, aphylli, ſpithamæi; ſuperiores pollicares.

Pedicelli inæquales.

C. Flavens.

C. *foliis* elliptico-oblongis, acuminatis; umbellis pedunculatis.
Incolis Ceilonenſibus: Binnuge.
Caulis filiformis, ſpiralis et flexuoſus.
Folia oblonga, elliptica, ſeu utrinque attenuata, acuminata, integra, glabra, ſupra viridia, ſubtus flaveſcentia, digitalia, ſupremis minoribus.
Petioli ungviculares.
Umbellæ axillares, pedunculatæ.
Pedunculus pollicaris, pedicellis inæqualibus.

C. Macrophyllum.

C. foliis lato-ovatis, ſubellipticis, acuminatis; umbellis compoſitis.
Caulis teres, flexuoſus, glaber.
Folia lato-ovata, utrinque parum attenuata, acuminata, integra, glabra, palmam lata, ſpithamæa.
Petioli filiformes, pollicares.
Umbellæ compoſito-ramoſæ.
Pedunculi capillares, pollicares, pedicellis paulo brevioribus.

C. Bracteatum.

C. foliis lato-ovatis, ſubcordatis, acutis; umbellæ petiolis piloſis, coruliferis.
Caulis teres, ſtriato-ſubangulatus, glaber.
Folia ſubcordata, ovata, mucronata, integra, glabra, palmam lata, et paulo longiora.
Petiolus ungvicularis.
Umbellæ axillares, ſubcompoſitæ.

Pedunculi ſetoſi, cotuliferi, pollicares.
Pedicelli capillares, inæquales.

C. Echinatum.

C. foliis cordatis, ovatis, acutis; umbellis longisſime pedunculatis; folliculis hiſpidis.
Caulis filiformis, flexuoſus.
Folia valde cordata, rotundato-ovata, cuſpidata, integra, glabra, palmam lata et longa.
Petiolus filiformis, fere ſpithamæus.
Umbellæ axillares, longisſimæ pedunculatæ.
Pedunculus filiformis, petiolo longior.
Folliculus oblongus, totus tectus ſetis et hiſpidus.

C. Capillare.

C. foliis cordatis, ovatis, cuſpidatis; ramis capillaribus; floribus racemoſis.
Caulis filiformis, tener, flexuoſus, volubilis, ramoſus.
Rami capillares, flexuoſi, folioſi, patentisſimi.
Folia caulina cordata, ovata, acuminato-cuſpidata, integra, glabra, ſesquipollicaria; ramea ſesſilia, ovata, acuta, integra, glabra, ungvicularia.
Flores in ramulis et axillis foliorum racemoſi, pedunculati.
Pedunculi tenuisſimi, capillares.